



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 2. De coniunctione cum aliis maribus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

I. *Lybicu[m] nominari*, vnde & à Luitprando Ticinensi *Africanum* appellatur. vi. *Mare Magnum* tam apud Sacros quām Prophano[u]s auctores vocatur. *Mare Tharsis* ei proprium non est, sed Oceano quoque conceditur in sacris Codicibus. viii. Denique Solinus cap. 26. hoc quoque Mare *Oceanum* appellauit.

**C O N I V N C T I O** utrum fuerit à initio mundi videntur plerique veterum negasse. Diodorus Sic. lib. 5. cap. 2. Strabo lib. 2. Seneca lib. 6. Natur. quæst. cap. 29. Plinius lib. 3. in Procemio, & lib. 6. cap. 1. Solinus cap. 26. vt Poëtas omissam. Eratosthenes apud Strabonem duas proponit rationes quibus id conficiat, quas idem Strabo irridet non confutat, prima erat de diuersitate soli, altera de tæniâ sub mari latente. Quomodo autem hæc duo maria, olim separata, coniuncta sint, duæ reperiuntur antiquorum opinione[s]. *Prima* est Mythologorum, qui hoc assingunt Herculi, quibus & subscribit Diodorus Sic. lib. 5. cap. 2. *Altera* id tribuit Oceani æstibus, cuius auctores Seneca lib. 6. Nat. quæst. cap. 29. Plinius lib. 6. cap. 1. Eratosthenes apud Strabonem modum distinctius explicat cùm ait, Fluios priùs stagnantes, deinde mari receptos, loca hæc detexisse quæ priùs *Palustria* erant παλυόδη. Fauent & huic opinioni, qui apud Marianam lib. 1. Rerum Hisp. dicunt, montes illos quos *Columnas Herculis* vocant, aggere comportato excitatos esse.

**O R T V S** Mediterranei maris à veteribus in controv ersiam revocatus est, inquit Solinus cap. 22. *Aliqui ex Oceano prodire putauerunt*, inter quos numerabis auctorem lib. de mundo. *Alij ex Ponto dixerunt existere*, quia ab Euxino æstus profluus numquam reciprocatur, quod argumentum non inane Solinus vocat, ciùsque meminit Plinius lib. 4. Et nos aliàs hanc quæstionem iterum expendemus. In præsentia statuimus, à primo rerum molitore sic esse fusæ maria, vt aliqua terram circumluerent, alia eandem subirent.

**D I V I S I O** quoque illius maris non vna proponitur ab antiquis.

*Prima* est Strabonis lib. 1. in *Dextrum latus & sinistrum*; hoc *Europam*, illud *Africam* putat alluere.

*Secunda* est Plinij, Solini, & aliorum in quatuor sinus. *Primus* à freto Gaditano ad Siciliam extenditur: *Secundus* à freto Siciliae, ad montes Acroceraunios: *Tertius* hinc ad Hellespontum: *Quar-*

O ij